DE HEPATITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS AD LAUREAM MEDICAM…

Francesco Galeazzi

DE HEPATITIDE

DISSERTATIO INAUGURALIS

AD LAUREAM MEDICAM OBTINENDAM

IN CAES. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

EXARATA

A

GALEAZZI FRANCISCO

CADUBRINO

PATAVII

EX TYP. CRESCINI

MDCCCXLVII

Vocatur hepatitis, ἡπατῖτις, illa phlogosis quae hepar aggreditur. Hic morbus rarior apud nos; si tamen de hepatitide acuta loqui velimus, frequentior est, juxta Vogel observationes, in Indiae regionibus; hic enim fere epidemice grassatur.

Non omnes hepatis partes eadem cum frequentia corripiuntur hocce morbo. Revera pars convexa frequentius, quam concava, testante Ludwig, afficitur: ex illustris Ferrein investigationibus lobum minorem saepius ac majorem in hunc morbum incidere eruitur: attamen omnes hepatis partes, hinc vena portarum, ductus biliares, arteria, et venae hepaticae, capsula glissoniana etc. affici queunt. Complicatur plerumque cum gastritide, duodenitide, enteritide, pleuritide, vel pleuro-pneumonitide, ac diaphragmitide: interdum ventriculi et intestinorum inflammatio ad hepar diffunditur: alias phlogosis hepatis in causa est gastritidis et enteritidis. Hinc ab auctoribus morbus distin-

guitur in *simplicem* et *complicatum*, in *idiopathicum*, et *sympathicum*, in *protopathicum*, et *deuteropathicum*; porro quoad decursum in *acutum* et *chronicum*: quoad partes affectas in *superficialem* vel *erysipelaceum*, et *profundum*, in *phlegmonosum*, et juxta nonnullos etiam in *venosum*, *arteriosum* ac *biliarem* separatur. Tandem non est silentio praetermittendum, quod hoc viscus, pulmonibus cerebroque exceptis, maxima cum frequentia haereditariis morbis dispositum observatur, teste prae primis clarissimo et nunquam satis laudato Petro Frank.

Hinc definitur hepatitis acuta morbus, qui cum febri, hypochondriorum tensione, dolore ad scapulam, vel claviculam dexteram, cum in uno aut in altero latere difficili decubitu, cum dyspnoea, singultu, saepiusque nausea vomituque manifestatur.

NOSOGRAPHIA.

In hepatitide diversa in conspectum adparent phaenomena prouti phlogosis decursum acutum, vel chronicum teneat, prouti hepar potissimum in superficie convexa, vel complanata, aut potius in parenchymate afficiatur.

Hepatitis acuta et superficialis cum eminentiori superioris partis laesione ac convexae, nec non ejus involucri, uti plurimum frequentia symptomata largitur: febris nunc praecedit, interdum topicam sequitur adfectionem: si praecedat, incipit horripilationibus, et frigore saepe haud non intenso plus minusve duratu-

ro, subsequo dein universali calore, ad praecordiorum praecipue regionem cum flagrante siti: porro dolores persentiuntur ab aegris lancinantes, acuti et pungentes, fere pleuritici, superficiales ad dexterum hypochondrium, qui interdum ad epigastrium et hypochondrion sinistrum in individuis prae aliis, in quibus maximum adquirat hepar volumen ob praegressas et repetitas affectiones propagantur, quique sub profunda inspiratione, vel decubitu in latere dextero, aut sub tactu rudi summopere exasperantur: porro dyspnoea, singultus, dolor ad scapulam, vel claviculam dexteram, tum et quando torpor ad brachium et manum lateris hepati respondentis non desunt: praeterea tussis sicca, frequens, brevisque post cibi absumptionem sensus ponderis ad epigastrium, nec non praecordiorum anxietas, et animi recurrentia deliquia praesto sunt. Omnia vero supra exposita phaenomena cum manifesta noctu temporis exacerbatione incedunt.

In hepatitide autem cum praevalenti laesione partis complanatae dolores suprarecensiti magis profundi obscurique fiunt: inspiratio profunda, decubitusque in latere dextero parum tantummodo aegrorum incommoda adaugent; verum prae ceteris symptomatibus icteri signa adparent: lingua nimirum, cutis, oculi, praecipue albuginea, et urinae flavescentes, oris sapor amarus, nauseae, vomitus ipse, et diarrhoea biliosae materiei, digestio difficilis, animi frequentiora deliquia praestant, quae ultima juxta celeberrimi Burserii sententiam a prohibito sanguinis per venam por-

tarum ad cavam, et ad cor refluxu repetenda sunt. Tandem Farrein adserit praeter dolorem sicuti hujus adfectionis pathognomonicum signum habendum dolorem cardialgiam simulantem. Hacce in specie hepatitidis febris validior est, et arteriarum ad carpum pulsatio fortis et vibrans percipitur; et non raro ipsa haemorrhoidum distensio adest.

Hepatitis vero parenchyma aggrediens, sive phlegmonosa, vix non semper acutissimum tenet decursum, febrique validissima continuo remittenti stipatur, et symptomatibus vehementissimis nuper explanatis incedit. Hinc aegroti cephalalgiam per quam molestam, speciatim in capitis latere dextero, oculorum conjunctivam injectam, flavam, linguam aridam, muco flavescente obtectam, saporem intense amarum, sitim flagrantem, anorexiam, dolorem saepius obtusum sensuque ponderis comitatum praeseferunt: porro hepatis volumen insigniter adauctum, hinc ventriculus, duodenus, colon, ipseque pulmo comprimuntur, unde anxietatis summae, plenitudinis, et suffocationis sensus: praeterea vomitum, diarrhoeam biliosam, vel e contra alvum stipticam cum foecibus griseis ex suppressa bilis secretione, urinas coffeanas, vel jumentarias, pulsus fortes, plenos, frequentes etc., aegri sensibus largiuntur. Quandoque vero phlogosis ad diaphragma, ad duodenum, ad ventriculum, ad intestina, ad pleuram et pulmones diffunditur: quibus in casibus hujusmodi adfectionum symptomata propria in scenam prodeunt.

Chronica tandem hepatitis potissimum sequitur fe-

bres intermittentes, phlogoses praegressas organorum digestioni inservientium, ipsiusque hepatis, quando nimirum inflammationes ejus negliguntur vel inopportunae subigantur therapeuticae methodo. Symptomata tunc valde obscura, et ab ipsis aegris interdum neglecta habentur. Febricula tamen levis, leves dolores lancinantes vel obtusi in hepatis regione digitis comprimentibus exacerbandi, tumiditas aliqua visceris hujus, abdomen tumidulum, dyspnoea recurrens, appetitus prostratio, difficilis digestio, sensus ponderis ad epigastrium prandio peracto, alvus irregularis, aliquando icterus, nec nonnunquam vomitus cum diarrhoea biliosa, epistaxis recurrens et haemorrhoidum interdum apparitio, et causarum attenta consideratio medico auxilio esse possunt, ut de hepatitide chronica judicium proferat.

Prouti vero morbus sive acutus, sive chronicus in unum alterumve exitum tendat, diversa praebet notatu digna phaenomena, de quibus tamen infra sermo erit.

EXITUS.

In varios potest hepatitis, quemadmodum quivis alius morbus, abire exitus; quae varietas a diversis pendet circumstantiis modo perpendendis.

Inter feliciores terminationes habenda est procul dubio *resolutio*. Symptomata autem, quae proximam solent vaticinari resolutionem adnumeranda sunt: febris decrementum, nec non omnium phaenomenorum

localium; conjunctiva oculorum, cutis linguaque ad normalem colorem restitutae, respiratio ac digestio pariter gradatim ad conditionem normam redeuntes, hepatis voluminis imminutio, diarrhoea leviter biliosa, et foeces antea griseae sensim, sensim colorem flavo-viridescentem acquirentes, sudores aequabiliter promanantes et levamen afferentes, urinae copiosae, turbidae et hypostaticae, et sic porro.

In hepatitide superficiali, membranam nimirum peritonealem et glissonianam aggrediente, hepatis *ascites* frequenter minitatur, vel morbosae *adhaesiones* cum proximis partibus superveniunt. Primo in casu, dum evolvitur ascites, tumiditas, et undulatio abdominis, oedema artuum inferiorum, dexteri praecipue polydipsia, cutis faucimmque ariditas, omnes excretiones valdopere imminutae, vel etiam omnino suppressae urinae, et sudor prae aliis, calor acutus ac molestus, pulsus duriusculus, contractus, frequensque in conspectum prodeunt. In adhaesionibus e contra singultus, dolores leves ad hepar, levis dyspnoea, decubitusque in latere dextero difficilis per longum temporis cyclum derelinquuntur.

In acuta hepatitide et phlegmonosa, non gravissima tamen, eoque magis in hepatitide recurrente, et neglecta post repetitas febres intermittentes *paractemata* et *emphraxis* saepissime locum habent. Tumor ad hypochondrium dexterum, ponderis sensus sub exspiratione speciatim adaugendus, dyspnoea dum aeger in latere affecto acquiescat, et magis, cibis absumptis, difficilis digestio, alvi pervicax obstipatio, faciei co-

lor cachecticus, et pedis dexteri oedema de hocce exitu annunciant. Observandum tamen est, quod in simplici paractemate hepar volumine adaugetur, dolet aliquando sub tactu rudi, modicamque ostendit duritiem; dum in emphraxi hepar est indolens, normali statu voluminosius, et duritiem fere lapideam manui exploranti praesefert.

Et *suppuratio* adnotari debet inter hujus phlogoseos terminationes, quae sequitur hepatitidem phlegmonosam, et gravem, vel recidivantem, aut neglectam. Tunc abscessus efformantur, qui vel ad superficiem visceris, vel ad partem complanatam, vel in parenchymate produci possunt. Phaenomena tunc praestant sequentia: febris vespertina horripilationibus ingruens, maoe sudoribus partialibus haud levantibus remittens, corporis emaciatio, dolores vel lancinantes, vel etiam obscuri, vel pulsantes ubi abscessus respondent, vomitus bilioso-purulentus, vel simpliciter puriformis: hoc vero apostemata sibi ipsis relicta totum invadere possunt sensim hepatis parenchyma: aliquando verum vomicae cistis exulcerantur, materiesque effunditur vel in abdominis sive peritonei cavum, vel in ventriculum, vel in duodenum, vel in crassum intestinum, vel in pleurae cavitatem, cum praesertim respondens diaphragmatis pars eodem laborat morbo, vel in renem dexterum, et, quod tamen rarius fit, ut Frank docet, in ileo ipsum, dummodo vero ad illud hepatis adfecti volumen pervenerit. Quibus omnibus in casibus phaenomena singulo organo propria manifestantur. Fit interdum, ut abscessus aperiatur in tubulis

biliferis, perque ipsos in duodenum abeat pus, unde vomitus, vel diarrhoea purulenta locum habent, ac non infrequenter in pristinam restituitur valetudinem aeger. Denique vomicae habentur aliquando, quod exoptandum est, in hepatis superficie convexa, ubi adhaesiones abdominis parietes inter et membranam visceris peritonealem morbosae adsunt; et sic per tactum tumorem fluctuantem explorare licet, manusque chirurgicas in auxilium vocare.

In hepatitide tandem acutissima ac gravissima, speciatim in senibus, in scorbuticis, aut alia cachexia laborantibus individuis, aut viribus exhaustis, nec non favente infenso epidemico genio hepatis gangraena ipsa superaccedere potest. Comitantur hunc exitum improvisa omnium phlogosena symptomatum suppressio, et phaenomenorum alius indolis adparitio; utpote forent: facies hippocratica typhomania, halitus foetens, lingua nigra, tremula, arida, sicca, dentes fuliginosi, pulsus irregulares, debiles, intermittentes, frequentissimi, frigus universale, sudores frigidi partiales, tendinum subsultus, apathia absoluta, carphologia et sic porro; hic exitus tamen perraro in praxi occurit.

AETIOLOGIA.

Ad hunc morbum disponunt sequentes proegumenae causae: tempestas aestiva, aequinotiales regiones, loca humida et calida, temperamentum sanguinen-biliosum, animi pathemata, aetas incipientis decrementi, vita rustica miseraque, febres intermitten-

tes recidivantes, phlogoses hepatis praegressa etc. Si cuti vero causae procatarcticae quae directe hepatitidem provocare queunt, adnumerantur: errores diaetetici, liquorum et aromatum abusus, et omnium substantiarum, in quibus principia inflammabilia superabundant, vermes intestinales prope tubi choledoci focem, vel in choledocum ipsum ingressi, traumata ad regionem hepatis, ad caput, casus super genua, vel pades, vel abdomen, metastasis phlogosium, vel diffusio inflammationis viscerum pectoris, vel abdominis ad hepar, suppressio improvisa eruptionum cutanearum, et alicujus habitualis fluxus, ut epistaxis, sed prae aliis haemorrohidum vel menstruorum, frigus, humiditas et vicissitudines atmosphaericae: imo, juxta praestantissimi viri Petri Frank sententiam, expositio corporis prius calefacti frigori aut humido aeri sicuti causa praecipua habenda est, quod in Indiis morbus endemicus sit.

PROGNOSIS.

Hepatitidis diviuatio pendet a morbi intensitate, aut gradu, ab ipsius decursu, a complicationibus, a tempestate qua exoritur, a parte affecta, a causis a quibus lacessita fuit, a praegressis hujus organi morbis, uec non ab individui constitutione. Hinc in hepatitide acuta, sed superficiali et mediocris gradus vitae periculum minus est, eoque magis dum aegrotantes rato tempore ad opportuna medicinae auxilia confungiant: dum in acuta, gravi et phlegmonosa valde anceps sta-

tui debet prognosis, namque aegri vel sub morbi maximo incremento vitam amittunt, vel diversa posthuma periculosa eos aggredi possunt. Quod si decurrente morbo singultus superveniat, sicuti mali ominis ab Hippocrate retinetur. Si suppurationis exitus locum habeat, aliquando fieri potest, ut effundatur pus, uti notatum fuit, in duodeno, vel in colon, et tunc in bonum potest abire morbus: quod si materias in abdominis vel thoracis cavum effundatur, mors certa consequitur. Gangraena visceris lethalis semper habenda. Chronica tandem hepatitis raro mortem aegrotantibus directa affert, nihilominus judicium reservatum meretur eo quod in paractemata, in emphraxim, aliasque terminationes difficillime resolvendas vix non semper tendit.

PATHOLOGICAE ALTERATIONES.

Alterationes organicae, quae in hepate evolvuntur, ineunte morbo non adeo manifestae animadvertuntur, eo quod rarius aegri per morbi vim e medio tolluntur, sed potius ob aliquem ejusdem exitum, et praesertim propter suppurationem. Addas quod etiam physiologicus hepatis adspectus valdopere variare potest ita, ut saepe in errorem medicus traducatur in morbosa alteratione dijudicanda: attamen sequentia notatu digna saepe saepius deprehenduntur. Dum phlogoseos sedes adsit in membrana peritoneali aut in fibrosa, tunc ipsa membrana plus minusve injecta conspicitur, majori spissitudine, colore rubro plus minus-

re intenso praedita; aliquando transudationibus lymphae plasticae ope vel diaphragmati, vel peritonco, vel duodeno, aut ventriculo fortiter adhaeret: praeterea ad visceris superficiem plures observantur maculae, quae ecchymomata sunt. In parenchymate huc et illuc conspersae oculis subjiciuntur regiones sanguine congestae ita, ut colorem rubro-nigrescentem, vel obscuro-viridescentem substantiae hepaticae praebeant: sanguinea vasa sanguine turgida, magis evoluta, ac extensa adparent, et in capillaribus vasis coagula fibrinosa obveniunt. Quod si hepatitis in suppurationem abeat, tum parenchyma huc et illuc praesefert materiei purulentae collectiones, quae inter se propter nonnullos ductulos communicant. Sensim sensim abscessus dilatantur aliquando adeo, ut tota hepatis substantia in unam convertatur vomicam, ut eximius prof. Verson se observasse fatetur. Materies ab initio colore albicante pollet; sed in posterum propter morbosi processus diffusionem ductus hepatici biliares, et vasa sanguinea exulcerantur, bilisque ac sanguis materiei purulentae miscentur; et hinc colorem rubro-nigrescentem, vel vini floribus similem obtinet peculiaremque spargit odorem. Fit tum et quando, ut materies absorbeatur praegressa jam cistis exulceratione; tunc in pristinam restitui potest salutem aeger, et ubi exulceratio succedit cicatrices observantur. Sub induratinois exitu hepatis substantia in substantiam cellulo-fibrosam colore viridescente, vel nigro-griseo insignitam conversam se se offert; et sub incisionibus pe-

ractis peculiarem praebat crepitum. In chronica tandem phlogosi volumen visceris valde adauctum, et textura magis compacta, sed facilius dilaceranda, coloris prae norma obscuri exhibentur, atque vasa sanguinea, vena portarum praeprimis, valdopere extensa conspiciuntur.

THERAPIA

Medico ad hepatitidis curationem advocato ante omnia oportet ut summa diligentia, summaque attentione causas morbi ob oculos atantis exquirat, et ad morbi intensitatem, ad complicationes mentem dirigat: absque enim hisce cognitionibus nulla seligi potest rationalis methodus.

Hinc causis remotis, in hepatitide acutissima citissime ad curam energice antiphlogisticam confugiendum, et praeprimis ad sanguinis emissiones tum generales, tum locales. Dum agitur de morbo superficiali cum praevalente laesione partis convexae, hirudinum numerosiores ac repetitae adplicationes ad locum doloris quamplurimum adjuvant: dum in hepatitide partis complanatae, vel parenchymatis hirudines optimo consilio ad vasa haemorrhoidalia suadentur. Eodem tempore interne praescribantur eccoprotica; hinc cassia, manna, tamarindus; porro cichoreum, calomel, extractum aconiti, belladonae, vel cicutae, emulsiones amygdalinae dulces cum tartaro tartarisato, cum cremore tartari, cum tartaro solubile,

cum nitro etc. Quod si alvus pertinaciter obstipa servetur, optime facit calomel pulveri radicis jalappae vel rhei nuptum, et clysmata emollientia, et aperitiva conveniunt. Si crises vel per urinas, vel per sudorem, aut diarrhoeam, vel excreatus, vel fluxum haemorrhoidalem, vel uterinum evolvi videantur, hisce debemus favere excretionibus opportuna ratione juxta Hippocratis admonitum: " quae ducere oportet, ducenda sunt, quo maxime vergat natura per loca conferentia., Quando, devicta phlogosi, emphraxis remaneat, in auxilium vocanda sunt aloetica, rheum, cichoreum, taraxacum, gramen, calomel, cicuta, sapones medicinales, fel tauri inspissatum, sulphur auratum antimonii, omniaque alia solventia et aquae acidulo-ferruginosae pro usu interno. Externe autem balnea universalia tepidula, balnea thermalia sulphurosa vel martialia, vel marina, frictiones cum unguento mercuriali, cicuta, belladona, hydrojodate lixivae etc. aegrotantibus insigne emolumentum afferunt. Si morbus in exitum suppurationis abeat, quod nobis patefit symptomatibus nuper expositis, in methodo antiphlogistica perseverandum usque dum phlogosis compeseatur: dum vero symptomata colliquationis in conspectum obveniant, ad chinam, ad columbum, etc. deveniendum. Si pus in tubum gastro-entericum effundatur, ejus evacuationem promovere oportet potubus mucilaginosis, purgantibus eccoproticis, enematibus emollientibus, et sic porro. Abscessus contra abdominis parietes protrudens, fluctuatione detecta, instru-

menti chirurgici ope aperitur, maxima tamen cum diligentia, ne pus in peritonei cavitatem ingrediatur: quo in casu peritonitis lethalis exoriretur. Postea tumor curetur, ut ars chirurgica docet. Tandem in chronica hepatitide eadem remedia laudibus extolluntur, sed juxta casuum individualitatem seligenda.

THESES DEFENDENDAE

1. *In hepatis substantia abscessus aliquando efformantur absque sensibilioribus ad hepar symptomatibus.*
2. *Formula nimis complicata dubium de diagnosi movet.*
3. *Quo magis terra vegetationi favet, eo minus hominum saluti prospicit.*
4. *Remediorum actio nunquam absoluta.*
5. *Nevroses interdum absque remediis melius sanantur.*
6. *Non dantur stricto sensu morbi haereditarii.*
7. *In morbis gravioribus medicus juvenis veterum consilium petat.*
8. *Fundamentum therapiae recta diagnosis.*